

non solum hoc intelligi oportet, q̄ fide renati concipi-
ant spiritum sanctū, & habeant motus cōsenciētes legi
Dei, sed multo maxime refert & hoc addere, q̄ sentire
nos oportet q̄ procul a p̄fectione legis absumus. Quare
non possumus statuere, q̄ coram Deo iusti reputemur,
propter nostram impletionem legis, Sed querenda
est alibi iustificatio, vt conscientia fiat tranquilla.
Non enim sumus iusti coram Deo, donec fugientes iudicium
Dei, irascimur Deo. Sentiendū est igitur qd̄ reconciliati
fide propter Christum iusti reputemur, non propter legem,
aut propter opera nostra. Sed qd̄ hæc inchoata impletio
legis placeat propter fidem. Et qd̄ propter fidem non imputetur
hoc quod deest impletioni legis, etiamsi conspectus
impuritatis nostræ perterrefacit nos. Iam si est alibi
quærenda iustificatio, ergo nostra dilectio & opera non
iustificant. Longe supra nostram mundiciem, imo longe
supra ipsam legem collocari debent mors & satisfactio
Christi nobis donata, vt statuamus nos propter illam
satisfactionem habere propiciū Deum, non propter nostram
impletionem legis.

Hoc docet Paulus ad Galat. iij. cum ait. Christus
redemit nos a maledictione legis, factus pro nobis
maledictū, hoc est, lex damnat omnes homines, Sed
Christus quia sine peccato subiit p̄nam peccati, & victima
pro nobis factus est, sustulit illud ius legis, ne
accuset, ne damnet hos, qui credunt in ipsum,
quia ipse est propiciatio pro eis, propter quam
nunc iusti reputantur. Cum autem iusti reputentur,
lex non potest eos accusare, aut damnare,
etiamsi re ipsa legi non satisfecerint. In
eandem sententiam scribit ad Colossenses. In
Christo consumati estis, quasi dicat. Etsi adhuc
procul abestis a perfectione legis, tamen non
damnant vos reliquæ

quia